peditat auulſa, facili momento peſſum eunt. Id floribus, plantarúmve ſurculis vſuuenit: quando decerpti, in plures dies, ſi adaquentur, victitant: at inde amoti, iam contabeſcunt. Non ita ſe habet arborum compages, radicum nonnullarum, inprimis bulbacearum, aliarumq́ue item, quæ perennant, herbarum κατασκευὴ: quæ licet hyemis aſperitate nullum è terra nutrimentum alliciant, inſito tamen humore reficiuntur: quo ipſo nonnullis animalibus, quorum alimentorum χορηγία hyemale tempus incommodat, prouida natura proſpexit. Quod ſi ergo quippiam tale, vegetanti ſpiritu agitatum medica intentiò expoſcerit, libenter tum concedemus, nullo pacto in partes ſubdiuidi, quibus petita facultas adſit. Perijt enim, diuulſo toto, quo ſine viuens anima non ſubſiſtit.

Diſsimilare remediũ ſolâ partium harmoniâ cohærens, ſi diſſoluatur, amittit vi-

At ſi diſſimilare remediũ exanimetur, adhuc ambiguũ fuerit, an partes illi⁹ diuerſæ inuicẽ diuellendę ſint. Tum enim ſeſe exerit forma totius compoſiti, & quæ priùs viuenti ſubdita, materiæ vicem